Pius VI Allocutio.. 1778.

ALLOCUTIO
SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI
PII PAPÆ VI.

IN COMITIIS GENERALIBUS FF. ORDINIS
PRÆDICATORUM
IN CONVENTU
S. MARIÆ SUPRA MINERVAM
IN PERVIGILIO PENTECOSTES
HOC ANNO 1777. CELEBRATIS

HABITA.

IN CONTESTATIONEM VERO GRATITUDINIS
JLLUSTRISSIMO CAPITULO CRACOVIENSI
SACRAS EXUVIAS DIVINISSIMI

HYACINTHI

OLIM CONSODALIS SUI, AC EJUSDEM ORDINIS
PER POLONIAM PLANTATORI,
RECURRENTE ANNUA FESTIVITATE ILLIUS DEVOTE VISITANTI,
ATQUE IN COMMUNIS LÆTITIÆ SIGNIFICATIONEM.

REIMPRESSA

VARSAVIÆ
Typis S.R.M. 1778.

QUum Comitia Nostra Generalia Romæ in Conventu S. MARIÆ supra Minervam in Pervigilio Pentecostes celebrata Pontificiæ Majestatis adventu, nobili ac splendido Comitatu, atq; humanitatis amorisq; plena Oratione illustrarentur; unde & Universo Ordini Prædicatorio, singulisq; Ejus Provinciis, atque huic præsertim nostræ Polonæ plurimùm deco is accessisse probe intelligebam; sæpe mecum cogitavi, cuïnam, cùm ad Patrium redirem solum, istiusmodi gloriam, qua Pontifici Summo nos cohonestare placuerat, aut attribuere, aut in quem ac si jure quodam transfundere oporteret? Et ecce vel læta temporis oportunitate accedente, perjucunda ipsa per se incidit in mentem meam cogitatio, ut non alteri, quàm Vestrùm Illustrissimo Capitulo, unde nos per HYACINTHUM Divinissimum, Vestrum quondam Consodalem, profectos gloriamur, gloriabimurque ad perennem Provinciæ commendationem, id Officii genus exhibendum judicarem. Nam posteaquam Celebratissimus Vester Conventus, qui merito vendicare sibi potest quòd Seminarium Episcoporum & appellari & esse meruerit, propterea quòd e sinu suo Viri Sanctitate eximia, literatura politiori, omni denique virtutum genere ornati nunquam alii ex aliis prodire destiterunt, in HYACINHO nobis talem donasset ac tantum Parentem; ut quidquid existimationis in terris, ut habere vut ab humana mente excogitari queat, totum ex Illo ac per Illum in Cœno-

bium

bium isthoc quod sacrò suo pignore insignire voluerat, Provinciam Polonam nostram, Ordinemque Universum plene scaturierit: restat ut quantum gloriæ Ordini, & per Eum huic Provinciæ tum undecunq; cum ex præterlapsa in Comitis Generalibus nostris Pontificiæ Dignitatis accessione tributum sit, tantundem etiam atque etiam à nobis, qui Vobis aliis debitores nos esse profitemur, Vestrique per Hyacinthum quodam modo sumus, in Commendatissimum Capitulum Vestrum transfundatur. Intelligitis jam profectò quamobrem & Pontificium hunc elegantem Sermonem unà cum methodo adnexa in Electionibus Generalis Ordinis servanda Romæ habitum, atque me huc adventante statim reimpressum Vobis Illustrissimi Viri, qui Sanctum quondam Consodalem Vestrum, Lumen Ecclesiæ splendidissimum fortemque nunc atquê communem apud Supremum Numen Intercessorem in his Ædibus invisere quotannis consuevistis, offerrem: quo nimirum omnem, quæcunque tandem accideret, Nostram Gloriam Vestram quodammodo semper futuram, atque ex Ordine nostro per HYACINTHUM in Vos constanter profecturam cognoscatis. Hoc igitur quantulumcumque obsequii genus à me hujus Provinciæ Præside ex præfatis Comtiis huc redeunte munusculi cujusdam loco suscipere ne verecundemini: & quorum Provinciæ HYACINTHUM Cælo volente Parentem impertiri gloriosissimum Vobis futurum, quum eos quoque qui se tanti Parentis hic profitentur esse Filios non gravabimini fulcire Vestrûm præsidio, quod confidens huic Cænobio, totique Provinciæ nunquam defuturum, Vobisque omnem felicitatem HYACINTHO patrocinante à DEO bonorum omnium Authore exoptans, persevero.

Illmmarum & Rmmárum Dnatonum.
Devotissimus Servus F.R.M.M.P.P.O.P

N. Existimatis quoq[ue] n[on] indecorum sed gloriosum vobis futurum

GRaviſſima hodie, dilecti Filii, deliberatio eſt Vobis demandata, cùm ex præelecta à dilecto Filio Noſtro Joanne Thoma de Boxadors Magiſterii Ordinis veſtri dimiſſione eligendus ſit, qui locum ipſius impleat, ut Dominicanæ Familiæ præſideat. Rei magnitudo poſtulat, ut nonnulla ex Prædeceſſorum Noſtrorum inſtituto proferamus. Sed prius tantiſper ab argumento digrediemur ad eam exprimendam jucunditatem, quâ vehementer afficimur, verba facientes in Loco, ad quem vix Romam Adoleſcentes advenimus, greſſus Noſtros direximus, & quem plurium annorum ſpatio frequentavimus, prout a nobis inceptum vitæ curriculum expoſcebat. Recreat Nos ſanè hujus Aulæ conſpectus, hi Plutei, Codices, Volumina, quæ provectionum noſtrarum exordia Nobis compararunt: ſed grati animi ſenſus minimè patitur a Nobis præteriri, non parum Nos ſi quid tùm profecimus, debere humanitati Dilecti Filii Pii Thomæ Schiara meritiſſimi Congregationis Indicis Secretarii, qui tùnc in Præfectura inſignis hujus Bibliotecæ omni Officiorum genere ſtudia noſtra fovit, & comprobavit. At ad propoſitum redeuntes, non minùs lætamur Nos coram alloqui ſelectiores Scholæ Dominicanæ Alumnos, quos ex ſacris Literis, & ex Sanctorum ſui Ordinis Doctrinis hauſiſſe certum habemus quidquid in hoc præcipuo

nego-

negotio agere oportet. Et profecto quantopere referat, ut judicia vestra in eum dirigatis, qui omnium aptissimus sit, & clarioribus Virtutibus emineat, svasum vobis propterea esse debet, quod ad supremum Magisterium electus nullo unquàm suæ vitæ tempore ab eo decidit, quòdque Familiæ præesse debet, cui ab illa, quam semper complexa est, erga Ecclesiam universam, devotione, & præsidio non solum recedere, sed vel elangvescere nefas esset. Ideo vestrum Nos Ordinem ob præclara ipsius merita, & laudes peculiari semper benevolentia dileximus, & eximio animi sensu prosecuti sumus, ut plures, qui inter vos hic versantur, testari posint, quod quidem satis esse putamus, ut a prolixiori laudis genere abstinendum nunc sit, postquàm huic studio erga eundem Ordinem cumulatè jam satisfecerimus cùm verbis, tum rebus ipsis, Allocutione nimirum illa, qua coram Venerabilibus Fratribus S. R. E. Cardinalibus significavimus pretiosam mortem Sodalium Vestrorum Hyacinthi Castaneda, & Vincentii a Pace. simulque præsentem hunc Generalem Magistrum vestrum Purpuræ honore liberaliter decoravimus. Ex ipsius Allocutionis, tipis editæ, exemplis, quæ ad singulas vestras Provincias laudatus Cardinalis transmisit, percipere potuistis quanti Familiam vestram faciamus, quantaque sit in eamdem Propensio nostra. Sed hanc uberius vobis expromere non possumus, quam hoc ipso, quod hisce Comitiis vestris interesse voluimus, ac vos serio cohortari ad opus rectè perficiendum, pro quo in unum convenistis. Scimus equidem vos zelo, & doctrina præstare, ac, ut innuimus, ignota vobis non esse præcepta, quibus gravissimum hoc negotium pertractetur, & feliciter compleatur. Tamen scientibus etiam Legem loqui, & secundis ventis navigantes impellere opportunum, & fructosum esse, semper fuit existimatum Verum præ omnibus summoperè ad rem pertinet, ut Vobis aperiamus *Pro nullius Nos misceri Persona* (a) nec alium

præ

(a) S, Gregor. Magn. libr. 3. Indict. II. Epist. n. 9. tom. 2. Oper. edit. Paris. anno 1705. pag. 644.

præ alio fore magis acceptum, nullius partes Nos ſuſcipere, nullius Virtutes deprimere, nec merita extollere. Ab hac Animi affectione ſicuti conſtanter abhorruimus, ita huc præſertim acceſſimus, ut veſtram magis aſſeramus libertatem, & arbitrium tueamur. Jta tamen hoc uti debetis, ut omni excuſsa aut propenſione, aut averſione, metu, perturbatione, & privatæ utilitatis reſpectu, miniſterium, quòd in Domino accepiſtis, implere ſatagatis ad perfectam Sanctitatis Diſciplinam, & ad commune veſtri Ordinis incrementum, Eccleſiæque utilitatem. Quoniam nihil poteſt eſſe utilius ſingulis, quàm quod eſt utile univerſis. Jn eum itaquè cogitationes veſtras intendite, quem nullo ambitionis indicio præoccupatum conſideraſtis: nam ambitioſus ſibi uni credit, ceteraquè omnia negligit, & conculcat, & ſimilis eſt alteri ex vocatis ad cænam magnam, qui dixit ſe emiſſe Villam antequam eam videret, & priusquam onera, labores, difficultates exploraret, ut nimirum illam incolentibus dominaretur, & Agri Colonis imperatet. Utinam qui primos appetunt accubitus, intelligerent quàm ſit arduum, & oneroſum aliis mandare, aliis tribuere, aliis negare, & pro omnibus vigilare, nam tum profecto nonniſi inviti, & reluctantes ad honores raperentur! Hoc apprime agnovit Beatus Pater Veſter, qui juſſu Pontificis Honorii III. adductus ut præeſſet Ordini a ſe inſtituto, vix elapſo unius anni curſu enixe rogavit Fratres ſuos, ut ſe a ſuſcepta Præfectura abdicare permitterent, nec niſi eorum lacrimis victus a ſententia receſſit.

Intereſt præterea quàm maximè, ut induſtriam omnem conferatis in perſcrutando, minimequè dubii ſitis, ut, quem ceteris præferre judicabitis, velit in Scholis cuſtodiri germanam Doctrinam Angelici veſtri Magiſtri, nequè, ſeu ingenii elatione, aut nimio contentionis amore, vel ambitione triumphi, propenſus ſit ad alienas ſententias, & opiniones, quæ placeant Patribus, ad quarum ſtudium etiam leviter præſumpſit adhuc inclinare, Hic omnino

mnino eſſet gravi malo culpandus, ut protinus repudietur. Inter multiplices Scholas Thomas Aquinas Sol Doctrinæ, & Theologorum Anteſignanus jure fuit appellatus, cum nihil, niſi e ſacrarum Literarum, Patrumquè conſenſu aſſerat, ac quidquid ſcripſit meruerit (ut pie fertur) Divina voce confirmari: proindequè Prædeceſſores Noſtri eximiis præconiis commendarunt tanquam Chriſtianæ Religionis Clypeum, firmumque Eccleſiæ Præſidium, ac noviſſime Benedictus XV. cujus Sapientiæ intimi admiratores fuimus, Thomiſticam Doctrinam reſtitui juſſit in Collegio Sancti Dionyſi Areopagitæ Montis illipulitani extra Civitatem Granatenſem, propoſita Sacrorum Interdictionis pœna cuicumque qui ab ea receſſiſſet (b)

Incumbite igitur, ac ſuffragia veſtra dirigite in eum, de quo haud incertum ſit, an a Majorum veſtrorum Studiis non abſceſſerit, an * in hodierna Doctrinæ depravatione, ac pene interritu, neque indulturus neque ullo modo * paſſurus ſit, ut Divinum Thomæ eloquium, quaſi novella Doctrina diſcutiatur, & otioſa diſputatione impugnetur.

* in tanta Ecclesiastica Disciplinae perturbatione *

Plura adhuc vobis de veſtri Generalis Magiſtri eligendi prudentia, charitate, experientia, aliiſque dotibus addere poſſemus; ſed ne diutius protrahatur actio, ad quam parati eſtis, contenti ſumus graviora delibaſſe, & ut abunde quæ ad huc deſunt, ſuppleamus, vivum vobis proferimus exemplar, vos adhortando in eum intueri, qui ſpontanea excedit abdicatione, ut illi ſimilem ſubrogetis, ne cogamini poſtea eum ipſum ſæpe, nimiſque dolenter deſiderare. Accingimini idcirco Dilecti Filii, ac confortamini, & licet morum, linguarum, & Nationum varietate diſjuncti, conſentientibus, & conſpirantibus animis, Dei honorem ſolum, & Ordinis veſtri felicitatem attendite, ut Noſtris, omniumque Votis egregie reſpondeatis. Quapro-

pter

(b) Lit. in form. Brev. diei 11. Decembris 1752. inpreſſ. in Collect. Actor. Capit. General. Prædicator. habit Romæ 3, Julii 1756. pag. 41,

pter in Patre luminum cogitatione defixi, fidenter, humiliterquè ſupernum implorate præſidium, ut repleti ſpiritu timoris Domini ſanctam peragatis Electionem, ut ſub vigili Patrefamilias Dominicanus Ager uberes Virtutis ac Doctrinæ fructus pergat emittere.

DIE UNDECIMO KALEND: JUNII QUINTA POST ELECTIONEM P. GENERALIS SANCTITAS SUA RECEPIT AD OSCULA PEDUM PP. VOCALES IN AULA DUCALI PALATII VATICANI EOSQUE SEQUENTIBUS VERBIS EST ALLOCUTA.

MAgna cum jucunditate interfuimus Comitiis veſtris, in quibus peracta fuit canonica Electio in Generalem Ordinis veſtri Magiſtrum, quem hic præſentem intuemur. Quamvis antea, nec Perſonam, nec ejus merita noverimus; tamen ex privato Colloquio cum ipſo poſtmodum habito apprimè percepimus eſſe illum zelo, Doctrina, prudentia, aliisque virtutibus præditum, ut meritò poſt probatam ejus operam in munere Socii pro Provinciis Hiſpaniarum ſub tranſacto Generalatu, dignus exiſtimatus fuerit, qui univerſo Ordini veſtro præſideret. Gratulamur itaque ſummopere de laudabili electione a vobis expleta, quam felices ſucceſſus habituram non dubitamus; & ſicuti Electum Nos ſemper peculiari benevolentia complexuri erimus; ita vos, qui eum elegiſtis pro merita laude commendamus: imo hujusmodi Electionem accipimus in argumentum enixi ſtudii veſtri, quo voluiſtis ut Nos magis, magisquè accendamur ad Ordinem ornandum, & amplificandum. Interea Indulgentias omnes, & gratias ſpirituales, quas Benedictus XIV. Prædeceſſor Noſter indulſit PP. Vocalibus Capituli Generalis habiti anno 1756. vobis concedimus, & in Paterni Noſtri Amoris pignus Apoſtolicam Benedictionem peramanter impertimur.